



**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Tertia Controversia. An per actionem assumendi & vniendi fiat aliquid in
humanitate, quod sit accidens absolutum aut respectuum, aut modus
absolutus vel respectiuus ab ea distinctus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

suppositi humani esse potentialitatem, & materialitatem respectu eius perfectionis, quam ipsa humanitas accipit ex vnione ad Verbum; ac proinde Verbum, quatenus suppositum est humanitatis eleuatium & perfectiū formalis significatur hac voce Christus, quam humanitas.

Ob 1. cont. 4. conl. **CONTRA quartam**, & quintam concl. arguunt recentiores prædicti *Primò*: quia teste Arist. 2. *Phys. tex. 14. & lib. 1. de partibus animal. c. 1. in fine*, natura est terminus generationis, non quidem totalis sed formalis; ergo etiam terminus formalis huius vnionis, per quem generatus est Christus, non est persona sed natura. *Confirmatur primò*; quia terminus formalis habet se vt principium formale & non materiale: persona autem Verbi habet se vt subiectum sustentans humanitatem; ergo. *Secundo confirmatur*: quia terminus huius actionis vt est humanatio, est humanitas; ergo illa etiam est terminus formalis assumptionis vel Incarnationis, quæ sunt eadem actio specie. *Resp. primò* Arist. *locis allegatis* nomine naturæ formam intelligere, vt perspicue declarat ibi philosophus. *Secundo* dico nullam esse consequentiam: quoniam in assumptione humanitatis à Verbo, non generatur sed supponitur humanitas actu producta: fit autem compositum hoc, quod est Christus, per hoc quod Verbi personalitas additur vt terminus & vt complementum humanitati. *Ad primam confirm.* dico, personam Verbi secundum quandam rationem se habere, vt subiectum sustentans humanitatem, & secundum hanc considerationem, humanitatem esse terminum formalem Incarnationis. Sed quoniam humanitas non est terminus huius actionis, nisi vt assumpta & eleuata ad Verbi personalitatem, à qua summam recipit perfectionem: idè simpliciter & absolute loquendo, terminus formalis huius actionis est diuina Verbi personalitas. *Ad secundam confirm.* patet ex dictis: probat enim humanitatem esse terminum huius actionis secundum quid.

Obi. 2. *Secundo* Incarnatio est actio specie distincta ab assumptione naturæ Angelicæ vel equinæ; ergo habet terminum formalem specie distinctum à terminis illarum; ergo terminus formalis illarum non est persona Verbi. Antecedens patet; nam termini totales illarum sunt distinctæ speciei, scilicet hic homo, hic Angelus & hic equus: non est autem actio eiusdem speciei, quæ habet terminum totalem distinctæ speciei. Prima etiam consequentia patet; quia terminus formalis est, qui tribuit speciem totali termino; igitur vbi terminus totalis fuerit distinctæ speciei etiam terminus formalis erit speciei diuersæ. Secunda verò consequentia probatur: quia persona Verbi semper est eiusdem rationis, siue terminet naturam humanam siue Angelicam aut equinam &c. & idè si esset terminus formalis prædictarum actionum, omnes ille haberent terminum formalem eiusdem rationis & essent eiusdem speciei. *Resp.* Incarnationem dicere vnionem hypostaticam diuinæ personæ cum humana natura: Incarnatio igitur potest dupliciter considerari. *Primò* ex parte vnitatis hypostaticæ in ipsa Verbi personalitate. *Secundò* ex parte naturæ ad talem vnitatem assumptæ. Si primò modo consideretur Incarnatio; prout scilicet est vnio duarum naturarum in vna Verbi personalitate; quod est considerare ipsam, vt est vnio hypostatica in persona Verbi vt sic, non est diuersæ rationis ab alijs vnionibus, quæ fieri possunt cū

alijs naturis, puta Angelica equina &c. quia omnes sunt vniones hypostaticæ secundum eandem Verbi personalitatem: naturarum enim assumptarum diuersitas secundum hanc considerationem hic interuenit tantum materialiter & quasi per accidens: si verò secundo modo consideretur Incarnatio, scilicet ex parte naturæ assumptæ, certum est eam specie differre ab vnione Verbi cum natura Angelica & equina &c. & quoniam vnitas personalis est id quod precipuum & formalissimum est in Incarnatione: idè simpliciter & propriè loquendo dicendum est, prædictas actiones non esse species differentes. Ad argumentum igitur negatur antecedens propriè & absolute loquendo; quamuis sit verum secundum quid scilicet considerata Incarnatione ex parte naturæ. Ad probationem dico terminos illarum assumptionum esse specie distinctos considerando assumptiones illas ex parte naturarum assumptarum; non autem si considerantur, quatenus vnitatem habent hypostaticam in propria Verbi personalitate, quæ est earum consideratio simpliciter.

CONTRA sextam & septimam conclusionem sunt argumenta, quæ referunt & soluunt Cai. & Med. *super hoc 4.*

Alia argumeta, quæ contra prædictas conclusiones afferri possent ad sequentem attinent Cōtrouerfiam.

TERTIA CONTROVERSIA.

An per actionem assumendi & vniendi fiat aliquid in humanitate, quod sit accidens absolutum aut respectuum, aut modus absolutus vel respectus ab ea distinctus.

QVINQUE solent in hac Contro. Doctorū sententiæ recenser. *Prima* est Gab. 1. *dist. 30. q. 4. a. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. a. 1.* Vbi docet per assumptionem & vnionem fieri qualitatem quandam absolutam supernaturalem in humanitate, vt per eam vniatur diuinæ personæ: hanc verò qualitatem dicit esse gratiam vnionis.

Secunda sententia est Scoti in 3. *dist. 1. q. 1. §. sed circa dictum articulum*, quam explicat & tuetur Rada in sua 3. p. *Contro. 3. a. 4.* & consistit in tribus dictis: *Primum* est, per actionem vniendi fit aliquid in humanitate, quod tamen non est qualitas supernaturalis, neque entitas aliqua absoluta, quæ sit veluti proximum vnionis fundamentum. *Secundum* id, quod in humanitate primò & immediate ac proxime fit per actionem vnitiuam, est vnio humanitatis cum Verbo, quæ in humanitate est relatio realis actualis dependentiæ ad Verbum, tanquā ad suppositū ipsum, sustentat ac suppositas. *Tertiū* est: Vnio humanitatis cum Verbo, licet sit accidens, non tamen est accidentalis sed substantialis: quia humanitas vnitur Verbo secundum substantiam, id est hypostasim verum esse illi substantiale tribuendo scilicet esse hominis; quia ex vi vnionis Verbum verè est homo & substantia & quid, non quale aut ad aliquid.

Tertia sententia est Suar. *disp. 8. sect. 2.* qui dicit quatuor. *Primum* est: Per actionem vnitiuam aliquid factum est in humanitate ab illa distinctum ex natura rei, quod definirer esse in illa si à Verbo separaretur: *Secundum* est: Id quod fit in humanitate, est modus substantialis ipsius humanitatis, quo intelligitur existere in Verbo, qui

qui modus impossibilis est humanæ substantiæ, non ultimo terminans naturam in se sed constituens illam in Verbo, ut in ipso terminetur. *Tertium* est: Hic modus dicit intrinsecam & essentialem seu transcendentalem habitudinem ad Verbum. *Quartum* est: Hic modus substantialis coniunctionis humanitatis cum Verbo est fundamentum proximum propriæ & prædicamentalis relationis unionis: quam sententiam quo ad secundum dictum sequuntur alij quidam recentiores Thomistæ viri doctissimi.

Quarta sententia est Vasq. *disputatione octava, capitulo decimotertio*. Vbi dicit quinque *Primum*: In humanitate unita Verbo præter materiam & animam, & earum unionem inter se est etiam modus quidam substantialis non absolutus, sed relatus ad Verbum, ratione cuius ipsa dicitur esse in Verbo, ei vniri & ab illo sustentari & substantialiter terminari. *Secundum*: hic modus substantialis, ita suapte natura est relatus & intrinsecam habitudinem habet ad Verbum Diuinum, ut relatio ab ipso modo non distingatur. *Tertium*: Hic modus non est aliquid præuium præparans naturam ut sustineatur à Verbo, sed est actus ipse suppositi diuini terminantis & sustentantis naturam; qui licet in genere causæ efficientis sit à tota Trinitate: tamen ut actus terminandi & sustentandi naturam propriè solū Verbum respicit, & ipsi tribuitur ad modum causæ formalis aut materialis: licet reuera nullum genus causæ ipsi conueniat, & commode potest appellari modus inexistentiæ: quia natura humana quæ per se existente poterat, in alio existit tanquàm in supposito, licet non tanquàm in subiecto, & est modus dependentiæ naturæ humanæ à Verbo, non tanquàm à causa propriè, sed tanquàm à supposito terminante & sustentante. *Quartum* est: Hoc ipso quod Verbum diuinum hoc modo terminat naturam, natura ipsa vnitur Verbo; & idè communitè hic modus dicitur vnio sumpta pro actu vniendi; non tantum pro actu vniendi qui sit actio & dicitur vnio in fieri: quia ratione refertur ad totam Trinitatem; sed etiam pro actu vniendi in facto esse qui est terminatio, quia ratione tribuitur soli Verbo tanquàm actus proprius illius ut suppositi terminantis. *Vltimum*: etiam si modus ille verè esset accidens de prædicamento accidentis, posset rectè defendi unionem naturæ humanæ cum Verbo, esse substantialem & essentialem: hoc est durarum naturarum in vna persona re ipsa & nō sola habitudine.

Quinta & vltima sententia est Cai. in hoc art. & infra a. 10. circa resp. ad 1. D. Th. Vbi docet, coniunctionem humanæ naturæ cum persona filij Dei nihil aliud esse, quàm vtriusque indiuisiōem in esse personali filij Dei: Et in hoc mysterio nullo ens reale interuenisse præter extrema & mutationem ac relationem inde resultantem; quibus verbis planè significat, per assumptionem & unionem nihil fieri in humanitate, sed solū fieri hoc compositum; quod est Deum esse hominem; quam sententiam prius tenebat. Ariminenfis in primo dist. 28. q. 2. in resp. ad 17. & 18. argum. & Baconus in 3. dist. 1. q. 1. a. primo. Eandè sequitur Aluar. disp. 13. & Val. puncto quinto, & est expressè D. Thom. vt ex dicendis patebit &c.

Resolutio.
Status Controuersie.

UT VERITAS, quam inquirimus in proposita Controuersia perspicuè nobis eluceat certa primum, & ab omnibus confessa discernenda sunt à dubijs, quæ ad præsentis Controuersie materiam pertinent. Sunt autem quin-

A que in hoc sacrosancto Incarnationis Mysterio, de quibus nulla potest esse dubitatio. *Primum* est Verbum. *Secundum* est humana natura. *Tertium* actio phys. & passio, quæ mutatio quædam est humanæ naturæ, siue per quam mutatur humana natura & vnitur Verbo. *Quartum* est terminus totalis & adequatus, scilicet hic homo siue Deum esse hominem. *Quintum* est relatio unionis inter humanitatem & Verbum, quæ secundum D. Th. ad tertium ordinem siue modum attinet relationum: hæc enim omnia fatentur omnes in Incarnationis Mysterio reperiri; quamuis de relationis natura non conueniant. *Questio* verò est an his addendū sit etiam sextum, quod vel sit fundamentum prædictæ relationis, siue quidam quidam substantialis absolutus in humanitate receptus, & quasi terminus formalis actionis vniitiuæ, ut vult Suarez, vel sit relatio substantialis loco dictæ relationis tertij modi constituenda, ut affirmat Vasquez. Pro cuius difficultatis resolutione præsupposita distinctione illa de duplici actione scilicet vniitiua & productiua, de qua satis in præcedenti Contro.

Considerandum est primum, nullam in humanitate Christi poni posse realitatem supernaturalem mutatione causatam, quæ proximè fiat capax diuinæ substantiæ, siue ea realitas sit qualitas, siue relatio, siue modus substantialis; quin illa habeat rationem mediij disponētis, vel formaliter coniungentis humanam naturam cum personali tate diuina: nam si medium nō est, igitur immediate se ipsis coniunguntur extrema, ac proinde realitas omnis unioni iā factæ superueniēs, nihil prorsus ad eā causandā confert: at verò defensores quatuor opinionum, quas in principio retulimus, realitates illas, siue sint absolutæ siue relatiuæ dicūt esse maximè necessarias, ut extrema scilicet Verbum & humanitas coniungantur; igitur hoc ipso sentiunt eas ad unionē extremorum requiri tanquàm media.

Secundo sciendum est ex D. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 2. a. 1. Duplex esse medium scilicet congruentiæ & necessitatis. Medium (inquit) congruentiæ est, quod facit ad decentem coniunctionem extremorum, quæ tamen nihilominus sine illo esse posset; sicut pulchritudo facit ad decentem coniunctionem matrimonij, quæ tamen amissa matrimonium non soluitur: Medium autem necessitatis est, sine quo coniunctio extremorum esse non potest; sicut lumen coniungitur aeri mediante diaphaneitate. Hoc tamen contingit dupliciter; quia, vel est causa coniunctionis, vel est coniunctionem consequens: Coniunctionis causa est medium, sicut aqua, & aer in visu; quia per aerem redditur species visibilis ipsi visu: Consequens autem coniunctionem est, quod ex coniunctorum dispositione causatur; sicut aer, vel aqua est medium in tactu: propter hoc oportet, extremitates corporum se tangentium humiditas esse: & ita oportet humiditatem aliquam intermediam esse: medium autem, quod est causa coniunctionis, est duplex; quia, vel coniungit effectiue, sicut homo reconciliat inimicos dicitur medium inter eos, vel coniungit formaliter, sicut amor coniungit amicos, ut medium, quoddam inter eos. Sed vtrumque horum adhuc dupliciter contingit; quia medium necessitatis, vel causa coniunctionis est in actu, ut patet in vinculo, quo aliqua colligantur, vel est causa coniungibilis atque; sicut siccitas in ligno causat coniungibilitatem ad ignem. Hæc ibi: quam doctrinā S. Doct. in art. 2. eiusdem quæstionis ad præsentem materiam applicans ait: In vniōe humana natura ad diuinam, nihil potest cadere medium forma-

Nihil per actionem as-
sumendi, &
vniendi se-
ri in huma-
nitate, quæ
si diuina
substantiæ
capax.

Medium
multiplex.

E

liter vnionem causans, cui per primum humana natura coniungatur, quam diuina persona: sicut inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod per primum sit in materia, quam forma substantialis: alias esse accidentale primum esset substantiali, quod est impossibile; ita etiam inter naturam, & suppositum, non potest aliquid dicto modo medium cadere, cum vtrique coniunctio sit ad esse substantiale. Sed sicut aduentum forme in materia procedunt ordine fieri disponentia formaliter, & materialiter; quibus materia redditur idonea ad susceptionem forme: ita etiam in humana natura inueniuntur quedam super addita, quibus redditur decens, vt assumatur a diuina persona, vt scientia, & virtutes, & huiusmodi. Vnde ista possunt quodammodo dici medium congruentia. Hæc S. D. & ibidem in resp. ad secundum. ait: Fructio operationem quandam dicit. Vnde per fruitionem anima vnitur Deo, sicut operans operationis obiecto: hoc autem ad rationem perfectæ operationis pertinet, vt à potentia mediante habitu eliciatur: Et ideo oportet, quod vnio fruitionis mediante habitu gratuito fiat: vno autem in persona est ad vnum esse personale: habitus autem non potest esse principium persone subsistentis, sed est ad esse consequens; & ideo gratia non est medium in vnione personali, sicut vnionem formaliter causans. Et in responsi. ad tertium. Quamuis (inquit) assumi in vnitatem diuine persone sit supra factum naturæ humane naturæ: non tamen exigitur aliquid formaliter humanam naturam eleuans ad talē assumptionem; tum quia quocunque addito, talis natura à persona diuina in infinitum distaret; tum quia, cum assumi per se natura conueniat: omnia autem accidentia præter rationem naturæ sunt; & ideo non poterit humana natura, secundum id, quod assumptibilis est, eleuari per aliquod accidens additum ad hoc, vt assumptibilis fiat, sed ad hoc, quod assumatur, exigitur benignitas diuina humanam naturam ad tantam benignitatem gratis eleuans. Hæc S. D. quæ de verbo ad verbum referre placuit, vt videant recentiores, quantum noua eorum inuenta distent à modo loquendi; & fortassis etiam à mentis & à veritate doctrinæ D. Th. quia sola bene percepta & mature perpensa confutari ac diluī facile poterunt eorum doctorum rationes & fundamenta, quibus suam aduersus antiquos Thomistas nituntur opinionem stabilire. Sic enim ex hac D. Th. doctrina possumus argumentari. Primò; Inter materiam & formam nihil cadit medium in esse, quod prius sit in materia quam forma substantialis; ergo nec inter naturam & suppositum potest aliquid dicto modo medium cadere. Antec. prob. quia aliàs esse accidentale esset prius substantiali quod est impossibile: Cōsequ. verò prob. quia vtraque coniunctio est ad esse substantiale.

Confutatur. Sed dicunt Suar. & Vasq. argumentum hoc militare contra sententiam Gab. & Scoti; non autem contra suam opinionem asserentem, medium illud esse modum substantialem ab humanitate, non realiter sed solum ex natura rei distinctum, sicut modus formæ, quo vnitur materia; ab ea distinguitur ex natura rei. *Sed hic dicendi modus facile confutatur ex eodem fundamento;* quoniam inter materiam & formam nullus modus est medius, nisi causalitas materiae & formæ: at inter naturam & suppositum nulla est causalitas: ergo. Prima propositio notissima est apud Metaphysicos & conceditur ac explicatur a Suar. *disput. Metaphys. 13. sed. 9.* Vbi agit de causalitate materiae, & *disput. 15. sed. 6.* Vbi agit de causalitate formæ. Ait autem Suar. causalitatem materiae in ipsam formam (quoniam

A do materia talis est vt à materia causetur & pendeat) non esse aliud à propria vnione talis formæ cum materia, quatenus ipsamet vnio materialiter causetur à materia, & mediante illa forma ipsa pendet etiam à materia. Vnio verò (inquit) animæ rationalis cum materia singularis est, & diuersæ rationis essentialis ab omni vnione materialis formæ, quam substantialem inhætionem appellare possumus: hæc autem vnio causetur (inquit) materialiter à materia; & tamen ipsa anima non causetur: Causalitatem autem formæ docet esse actua- lem vnionem formæ ad materiam, & vnari- & eandem esse vnionem, quæ causetur à for- ma & à materia & ab efficiente, ab vnoquo- que in suo genere, neque repugnare vt ead- dem vnio quatenus est à forma sit quasi vita seu ratio, quia mediante forma causet totum compositum; & quatenus est à materia sit ratio quia mediante forma materialis in suo esse à materia pender. Vsq. autem *disputatione decimanea capis secundo*, quamuis in forma acci- dentali præter modum inhætionis nullam al- iam causalitatem aut effectum formalem ag- noscat; in forma tamen substantiali præter modum inhætionis constituit actum informa- tionis in forma, & actum receptionis in ma- teria: Quos actus affirmat esse idem realiter in- ter se, & cum ipso effectu substantiali deriua- to ab ipsa forma. Ait præterea modum ani- mæ rationalis, quo fit apta materiæ, vt di- catur vnita, cum de se vnita non sit, ab homi- ne generante produci. Quamuis enim (inquit) non habeat virtutem produciendi spiri- tualem aliquam substantiam, bene tamen habet modi- ficando illam, vt coniungatur materiæ tamquam forma, & fiat substantia corporea: cum totum hoc ad constitutionem substantiæ corporeæ or- dinetur. *In quibus tamen dictis* (vt obiter di- cam quod sentio) duo sunt, quæ à Metaphy- sica veritate videntur extranea. *Primum* est: y- nam & eandem esse vnionem, & actum mate- riæ & formæ. *Secundum* est modum & vnio- nem animæ intellectuæ, vt eius modus est, à generante produci: primum enim proprias & oppositas ac sese inuicem in diuerso genere præ- cedentes causalitates materiæ & formæ confun- dit; cum tamen non minus quàm ipsæ causæ de- beant esse distinctæ; cum præsertim vnio pro- ut est naturæ modus, sit idem cum ea secundum rem; & vnio vt modus est formæ, non sit alia res ab ea distincta: vt videntur etiam auctores prædicti confiteri. Secundum autem adhuc ma- gis aperta habet absurditatem: tum quia mo- dus ille idem est realiter cum anima rationa- li; tum quia spiritualis omnino est, tum quia propria est animæ causalitas, prout se ipsa corpus informat; de qua re videndus est Cai. *in 1. p. q. 118. a. 2. circa res. ad 3. D. Th.* Sed prædictos auctores arbitror nominis ambigui- tate fuisse deceptos: Vnio namque multiplex nomen est; nonnunquam enim vnus tantum extremi; quatenus coniungitur alteri, & mo- dum significat: puta modum seu vnionem materiæ vt recipit formam, vel modum & vnionem formæ vt actuat materiam: quando- que verò vnam quasi totam ex his duabus vnionibus confluentem vnionem significat: vnus enim vnionis rationem habent & pro vna computantur; tum quia necessariò con- nexæ sunt; cum vna nequeat esse sine altera; & vna quodammodo pendeat ex altera, & ordine instantis naturæ à quo licet non in quo,

Cōsulantur
duo dicta
Vasquezij
de vnione.

Unio mul-
tiplex nomē
est.

se inuicem præcedant & consequantur; tunc A
quia ad vnum ordinantur compositum con-
stituendum, quod ex vtriusque partis vnio-
ne resultat. Hanc itaque solam posteriorem
vnionis significationem considerantes, vt v-
nam simpliciter authores illi vnam esse tan-
tum vnionem affirmarunt, quam soli formæ
dicunt conuenire, & in materia simul cum i-
psa forma recipi; Quod esse falsum perspi-
cui patet ex dictis. Sed de his alibi fortasse
Deo dante differemus vberius. His adde cau-
salitatem formæ non esse verè & realiter ali-
quid medium inter ipsam formam & eius ma-
teriam: vt ait Caietanus in 1. p. quest. 76. art. B
1. circa resp. ad 6. D. Thom. quia causalitas for-
mæ est veluti operatio per modum actus se-
cundum ipsius causæ formalis nihil super eam
addens, nisi ipsam formam esse actum subie-
cti, quod (inquit Caietanus) non est ipsa
forma, nec ipsum subiectum, nec aliquid ens
medium; quia esset processus in infinitum,
sed est subiectum & formam in esse tali indi-
uifa esse, seu subiectum esse simpliciter vel
secundum quid tali forma. Vide ibi latam
& subtilem huius materiæ explicationem.

Secunda verò propositio affirmans inter
naturam & suppositum nullam esse causalita-
tem patet ex ijs, quæ latè diximus in prima
parte questione 50. artic. 2. Contro. 3. & bre-
uiter ostenditur; quia subsistentia qua sup-
positum constituitur, purus terminus est; at
verò terminus vt sic, nullam dicit causalita-
tem: natura verò ad subsistentiam compara-
tur, vt res incompleta ad suum illi debitum
complementum; ac proinde eodem actu quo
Socrates à Platone generatur, eius etiam pro-
ducitur subsistentia: adeo vt nunquam intel-
ligatur completa generatio Sortis, nisi post-
quam fuerit per subsistentiam, vt eius intrin-
secum complementum terminata: comple-
mentum autem vt sic, à re non causatur, cu-
ius est complementum, sed ab eo qui rem
completam in esse producit. Sed ait Vasq. v-
nionem Verbi diuini cum humana natura esse
modum, qui est actus ipse suppositi ter-
minantis & sustentantis naturam, & potest (in-
quit) appellari modus in existentia; quia natu-
ra humana, quæ per se existere poterat, in
illo existit tanquam in supposito, & est mo-
dus dependentiæ naturæ humanæ à Verbo,
tanquam à supposito terminante. Sed hac fr-
uola sunt nec ostendunt modum aliquem no-
uum realem inesse humanitati, quo Verbo
copuletur vt in eo subsistat: Verbum enim
humanæ subsistentiæ vices agens excellenter
humanitati se ipso coniungitur immediatè
tanquam terminus; igitur in humanitate, quæ
potentiam habet obedientialem ad subsisten-
tiam diuinæ personalitatis: nihil de nouo fit nisi
hoc, quod est actu subsistere subsistentia Verbi:
hoc autem nihil creatum addit humanitati, quod
sit veluti medium, aut vnio formalis illius cum
Verbo; sed diuinā tantum personā seipsam, quo
ad subsistentiam humanitati communicantem:
actu namque terminare, siue naturalis siue super-
naturalis sit terminus, aut terminatio, nihil præ-
ter ipsum terminum ponit in terminato: Si na-
que terminus præsertim substantiæ, sit naturalis
qualis est omnis creata subsistentia, nullam habet
respectu terminatæ naturæ causalitatem; neque
ab ea dependet, vt à causa, nec vllam præexigit in
ea dispositionem, vt antè diximus. Si verò termi-
nus fuerit supernaturalis, vt in proposito Verbi

personalitas respectu humanitatis in Christo; cū
puri termini munus exerceat, nullam habet res-
pectu naturæ humanæ causalitatem: & cū sit cre-
ator, multò minus ab ea dependet, quæ creatura
est: Actus igitur diuinæ personæ terminantis hu-
manitatem valdè equiuocè actus est, nec ad mo-
dum actus agentis aut formæ informantis est con-
cipiendus: in his enim actus causalitas quædam
est, & modus quidam agentis vel formæ derivatus
in materiam agentis vel formæ subiectā, & nouā
aliquam realitatem in ea constituens: at actus
personæ diuinæ terminantis humanitatem; cum
nullam in eam exerceat causalitatem, nihil om-
nino noui, nisi personam ipsam, vt terminum
in ea constituit: alioquin diuina personalitas, iā
non puri termini præstaret officium, sed causæ
sua virtute aliquid influentis: Et cum potentia
humanitatis respectu diuinæ subsistentiæ non
sit naturalis sed obedientialis, & sit ad eam non
vt ad operationem, sed vt ad terminum, & vt ad
subsistentiam formaliter nullam exigit, aut pa-
titur præuiam in humanitate dispositionem, sed
immediatè respicit subsistentiā; vt ante notauim-
us ex D. Th. ac proinde reducitur hoc ipso po-
tentia illa obedientialis ad actum, quod diuina per-
sona fit terminis humanitatis; ita vt humanitas
ea subsistat. Et quemadmodum formæ causalitas,
quæ est eius vnio cū materia, nihil addit supra
formā, sed dicit ipsam formā esse actum subiecti,
quod non est aliquid mediū inter ipsam formā
& materiā, sed est ipsam formā & subiectum esse
indiuifa in tali esse, seu subiectū habere esse sim-
pliciter vel secundum quid per talē formā, & simi-
liter causalitas materiæ non est aliquid medium
inter ipsam materiā & formā; sed est materiā
esse subiectum formæ, & ipsam cum forma esse
indiuifa in tali esse, seu materiā respicere for-
mam cum tali esse: sic vnio hypostatice seu ter-
minatio aut suppositio naturæ humanæ ex
parte diuinæ personæ nihil addit supra personā
ipsam, sed dicit quasi actum secundum ipsius di-
uinæ personalitatis, qui supra personalitatē ni-
hil addit, nisi ipsam personam esse actu terminū
humanæ naturæ: quod non est ipsa persona nec
humanitas, sed est personam & humanitatem in
esse personali indiuifa esse, seu personam di-
uinam terminare, & subsistentiam communica-
re humanitati: ex parte verò humanitatis nihil
aliud est, quam humanitatem terminari, & sub-
sistere diuinā personalitate, & habere esse per-
sonale indiuifum cum ipsa diuina persona, seu
potentiam humanitatis obedientialem ad subsi-
stentiam diuinæ personæ compleri. Hoc autem
non est humanitatem habere aliquid mediū inter
ipsam & diuinū Verbi personam, vt patet ex
dictis de vnione, & causalitate materiæ & formæ,
quæ causalitas longè magis apparentem habet ra-
tionem mediij, quam terminatio illa passiva hu-
manitatis per subsistentiam diuinæ personæ
E &c.

Deinde contra Suarezium & Vasquezium asse-
rentes modum illum, quem humanæ Christi
naturæ dicunt esse necessarium vt in Verbo sub-
sistat, esse modum substantialem habentem in-
trinsecam & essentialē habitudinem ad Verbum,
quam hi vocant relationem transcendentalem,
esseque tantum ex natura rei ab humanitate di-
stinctū: sic argumentor: Omnis relatio rei tran-
scendens est ipsa rei natura, vt in aliud essential-
iter ordinata; ita vt absque tali ordine; nec per
primā intellectus operationē possit intelligi; igitur
omnis relatio transcendens est ei, cui conuenit,

MAH

naturalis: at nulla est humanitatis respectu Verbi seu diuinae personalitatis relatio naturalis; ergo nulla talis relatio, vel modus inuenitur in humana Christi natura respectu Verbi: Anteced. probatur; quia relatio transcendens illis rebus tantum proprie conuenit, quae cum non sint in praedicamento relationis, necessario diffiniuntur per additamentum extrinseci. Huius autem modi diffiniendi ratio à priori nulla potest assignari, nisi quia res illae sunt essentialiter in alio ordinatae; quod enim ad aliud habet ordinem essentialem, nec concipi sine illo potest nec diffiniri, è conuerso: ut patet de materia respectu formae, & de forma respectu materiae; de potentia respectu actus & obiecti; de motu respectu termini & alijs similibus, ut Caietan. aduertit in 1. p. qu. 27. a. 4. & qu. 77. a. 3. Imaginandum est enim (inquit Caiet.) materiam, formam, potentias, & habitus & alia huiusmodi esse entitates quasdam medias inter absolutas omnino & respectiuas totaliter; ita ut non per aliquid superadditum, sed per suas essentias ordinem habeant essentialiter ad alia; ita ut absque eis intelligi, etiam in prima intellectus operatione non possint; non quod extrinseca illa differentiae earum sint, sed quia earum differentiae sumuntur ab ordine ad illa, non quidem praedicamentali sed transcendente: simpliciter tamen haec entia dicenda sunt absoluta: quoniam absolutum proprie & simpliciter dictum distinguitur contra relatiuum praedicamentale. Consequentia uero probatur; quia nihil est rei magis naturale, quam quod est intimum & essentialis. Subsumpta uero propositio probatur: quoniam implicat perfectionem esse rei supernaturalis, & rem ad illam naturaliter ordinari: quia naturalis ordo, & inclinatio rei non est, nisi ad id, quod est ei naturaliter commensuratum & debitum; ac proinde quod est eiusdem ordinis.

Secundo aduersus eandem opinionem sic argumentor. Talis modus esset supernaturalis & idem realiter cum ipsa substantia, ut patet ex dictis: at implicat dari substantiam supernaturalem, ut ostendimus in 1. p. qu. 12. ar. 5. in 3. Controu. ergo. Sed respondet quidam iunior Thomista, implicari quidem dari substantiam completam supernaturalem; quia substantia completa non potest specificari ab extrinseco: omne autem supernaturale specificatur ab aliquo extrinseco scilicet à Deo ut excedente totum ordinem uniuersi, & eadem (inquit) ratione implicat dari partes substantiae, scilicet materiam & formam supernaturales; quoniam illae mutuo se specificant; quia mutuo se respiciunt, & non specificantur à Deo ut excedente totum ordinem uniuersi: modus autem hic substantialis, quia specificatur à Verbo, cui vnitur humanitas, ut excedit totum ordinem uniuersi licet sit substantialis potest esse supernaturalis. Sed haec responsio non diluit argumentum: primo: quia modus hic supernaturalis; cum sit relatio transcendens, idem erit realiter quod ipsa tota humanitas ut à Verbo terminabilis; atque ita tota humanitas erit supernaturalis. Secundo: quoniam si modus hic idem est realiter cum humanitate, & est illi intrinsecus; ergo est illi naturalis & connaturalis: aut saltem poterit à Deo produci natura seu essentia, cui talis modus sit connaturalis: hoc autem est impossibile, ut in allegata Controu. probauimus; ergo. Sequela quo ad primam partem probatur; quia omne quod est intrinsecum & essentialis rei, est illi naturale: iam autem diximus modum hunc cum sit relatio transcendens

A secundum aduersarios, esse etiam secundum eos intrinsecum & essentialis: quoad secundam uero partem probatur: quia cogenitus esset ipsi naturae humanae, nec unquam fuisset sine tali modo: quo ad ultimam autem partem patet; quia non implicat creari à Deo naturam, cui modus suapte natura intrinsecus & essentialis alicui naturae create sit illico naturalis. Secundo deficit ea responsio; quia impossibile est aliquid supernaturale esse idem realiter & essentialiter cum re naturali; igitur impossibile est, modum illum supernaturalem identificari realiter humanitati: antecedens probatur: quia magis distat modus supernaturalis à re naturali, quam modus spiritualis à re materiali: sed implicat esse aut fieri modum spiritalem; qui sit idem realiter cum re materiali: ergo. Responder praedictus Thomista non esse impossibile aliquid supernaturale identificari cum re naturali; & aliquid omnino immateriale cum re materiali: quoniam (inquit) resurrectio corporum supernaturalis est; & tamen idem est realiter cum re naturali, scilicet ipsis hominibus resurgentibus: sicut omnis motus vel mutatio identificatur cum suo termino: & potentia obediens aliquid habet formaliter supernaturalitatis; cum respiciat Deum ut auctorem omnium supernaturalium superantem totum ordinem uniuersi: & tamen non distinguitur à re naturali cuius est potentia; & tamen modus existendi in Sacramento, quem habet corpus Christi, est supernaturalis, & tamen si modus non distinguitur à re, cuius est modus, identificatur cum corpore naturali & materiali. Sed haec responsio non satisfacit; nam actus & effectus potest esse supernaturalis dupliciter: uno modo secundum se, ut gratia, gloria &c. & haec dicitur proprie & simpliciter supernaturalis: alio modo quo ad talem modum fieri: ut uisus ceco datus: nam etsi uisus secundum se sit homini naturalis; quod tamen illi post cecitatem, & in instanti conferatur, supernaturale est: & hoc dici potest supernaturale secundum quid siue quoad modum: Sic igitur in proposito hominum resurrectio non est naturalis primo modo; quia terminatur ad unionem animae & corporis, quae simpliciter loquendo est ex utraque parte naturalis non minus, quam uisus in homine, sed est supernaturalis secundo modo; quia supposita separatione per mortem animae à corpore, non est facultas in tota natura, per quam iterum uniantur. Vide, quae in hac materia scripsimus in 1. p. q. 1. a. 1. controu. 2. Modus autem ille, quae praedicti ponunt in humanitate respectu uerbi supernaturalis esset primo modo; quia nihil ad ordinem naturae pertinet potest facere humanitatem unibilem Verbo, aut ex unione humanitatis cum Verbo resultare: potentia autem obediens non est proprie loquendo supernaturalis, sed est ipsamet res naturalis cum negatione repugnantiae; ut fiat in ea, quid quid facere voluerit Deus: adeo ut tota supernaturalitas sit in agente & eius operatione: ipsa uero potentia secundum totum id, quod in ea reale est, sit naturalis: per extrinsecam autem denominationem dici possit quodammodo supernaturalis: quia scilicet consideratur in ordine ad agens supernaturale, ad quod tamen ab intrinseco non ordinatur; sicut nec ad actum, seu perfectionem ab eo factibilem recipiendam ordinatur; sed merè negatiue se habet; quia scilicet non repugnat. Modus autem existendi corporis Christi in Sacramento est quidem supernaturalis primo modo, sed non est idem realiter cum ipso: sicut nec omnis modus idem est realiter cum re, cuius est modus.

Corollaria
ex precede-
nti doctina
deducta.
Primum.

Ex his sequitur primò, nullam relationem trans-
scendentem esse distinctam ex natura rei ab eo,
quod tali relatione refertur. Probatur id sequi;
quia relatio omnis transcendens ad eius, cuius
est relatio quidditatem pertinet, ut ostendimus.
Quod autem ad rei quidditatem seu essentiam
pertinet, non distinguitur ab ea ex natura rei, sed
ad eius naturæ rationem formalem pertinet:
Cum igitur ille modus, quem in humanitate cō-
stituit sit secundum eius auctores relatio trans-
scendens: Consequens est illum ab humanitate
ex natura rei non esse distinctum.

Secundum.

Secundò sequitur, non solum illum modum, si
conueniret humanitati, habere intrinsecum &
essentialem ordinem ad Verbum, sed etiam hu-
manitatem ipsam. Probatur illatio: quia tunc hu-
manitas non distingueretur realiter aut ex natu-
ra rei ab illo modo seu relatione transcendentia-
li, sed eam intime clauderet; sicut in ratione
materiæ quidditatiua clauditur intime ordo ad
formam, & in ratione formæ ordo ad materiam.
Itaque ridiculum est & contra veram Metaphys.
quòd aiunt prædicti recentiores, nimirum dictū
modum non autem humanam Christi naturam
habere essentiali habitudinem & relationem
transcendentem ad Verbum.

Tertium.

Tertiò sequitur, non posse dictorum recentio-
rum opinionem, & multò minus opinionem
Scoti cum sententia D. Tho. conciliari; cuius op-
positum gratis & nimis facile pronuntiat Suar.

Quartò patet ex dictis, quasdam rationes Alua-
rezij, disput. 13. aduersus hanc opinionem esse pa-
rum efficaces. Prima namque qua probat primam
suam conclusionem, assumit nullum intercedere
modum substantialem inter animam & corpus,
quo formaliter vniantur. Quod esse falsum ostē-
dimus; quia duplex intercedit causalitas, quam
prædicti modum appellant: altera ex parte ani-
mæ: & altera ex parte corporis. Secunda verò ra-
tio pro eadem conclusione, licet verum assumat;
malè tamen infert intentum, eo quod non est ea-
dem ratio de vnitate in albedine, quæ conuenit
duobus albis, & de vnitate duarum in vna perso-
na; quia illa vnitas specifica tantum est: hæc au-
tem est numeralis: & præterea in hac vnitate, v-
num extremum, scilicet humanitas eleuatur su-
pernaturaliter ad esse personale diuinum, quod
est alteri extremo, scilicet naturæ diuinæ & Ver-
bo naturale. Tertia verò falsum assumit, videli-
cet, si modus ille vnitus est Verbo hypostaticè,
oportere illum vniri per alium modum substan-
tialem, & hunc per alium, & sic in infinitum: nam
dici facile posset, modum illum non propriè v-
niri Verbo ut quod, sed esse id quo vnitur hu-
manitas Verbo: humanitati verò modum illum
per se ipsum vniri: cū n. eius ratio formalis consi-
stat in modificatione humanitatis: hoc ipso dicitur
illi vniri, quod eam modificat. Dicunt igitur
prædicti recentiores id, quod propriè vnitur
esse humanitatem cum illo modo; quatenus i-
dem est realiter cum illa; id autem quo vnitur
humanitas, esse modum illum; quatenus forma-
liter & ex natura rei ab ipsa distinguitur. Alia ve-
rò eiusdem auctoris rationes, quibus primam &
quartam suam probat conclusionem longè soli-
diores sunt.

Conclusiones,
deductæ,
probata.

PRIMA CONCL. Per actum assumptionis & v-
nitonis nulla facta est qualitas in humanitate Christi,
per quam vniretur Verbo personaliter. Hæc patet ex
dictis. Eandem probat Suarez disput. 8. sect. 2. oppo-
sitam sententiam confutando, ea præsertim ra-
tione quòd pertineat ad errorem Nestorij. Sed
Vasq. disput. 18. cap. 2. nititur illam opinionem ab

A hoc errore vindicare, & eam alijs confutat argu-
mentis. Sed de hoc suo loco differemus. Eandem
conclusionem probat Valentia, punct. 5.

SECUNDA CONCL. Per dictam actionem non
fit in humanitate relatio vnionis, quæ sit accidens, ut
per eam humanitas vnatur Verbo. Probatur hæc
Conclusio primò; quia, si relatio vnionis inter
humanitatem & Verbum est ea, qua formaliter
hæc duo extrema vniantur adinuicem, ut affir-
mat Rada dicens, per actiuam vnitionem fieri
primò in humanitate vnionem formalem ad
Verbum, tanquam ad suppositum, in quo subsi-
stet, quam vnionem docet esse relationem de ge-
nere accidentis, sequitur vnionem humanitatis
ad Verbum esse factam secundum relationem.
Quod expressè negat quinta Synodus, Collat. 8. c.
4. Si verò relatio hæc vnionis non sit, qua forma-
liter quasi vinculo quodam humanitatis Verbo
copuletur; igitur prius ordine naturæ est esse
substantiale in compositione consistens, & subsi-
stere humanitatis in Verbo, id est personalitate
Verbi, quam sit illa relatio in humanitate. Pro-
batur illatio primò: quia relatio posterior est
suo fundamento: ostendimus autem dictum esse
substantiale, & vnitatem personalem in duabus
naturis esse fundamentum prædictæ relationis.
Secundò quoniam in quolibet indiuiduo substā-
tialia omnia præcedunt omnia accidentalia eius-
dem indiuidui: Quia esse simpliciter est prius
esse secundum quid. Tertiò quia si dicta relatio
non concurrat ut vinculum humanitatis cū Ver-
bo, ut ostendimus: nulla ratio est, cur in humani-
tate ponatur, antequam subsistat in Verbo; sed
fatis erit humanitatem diuinam substantientia termi-
nari, & ad vnitatem Verbi personalem eleuari,
ut constituatur substantiale compositum, quod
est Christus: vnio verò prout relatio est, conse-
quetur extrema substantiali vnitate copulata, ut
vbique docet S. D. & eius discipuli. Hanc conclu-
sionem probat Valentia, punct. 5. Secundò proba-
tur conclusio; quoniam ad hoc, ut anima in homi-
nis generatione, aut in resurrectione vnatur
corpori, nulla necessaria est relatio; ergò nec etiā
necessaria est, ut humana natura diuino suppo-
sito coniungatur. Consequenter patet ex Athanasio di-
cente; Sicut anima rationalis, & caro vnus est ho-
mo; ita Deus & homo vnus est Christus: Antecedens
verò probatur; quia sufficit causalitas materialis
ex parte corporis, & formalis ex parte animæ: hæc
namque ad vnā integram substantialem, & ab-
solutam vnionem pertinent, ad quam primò
sequitur substantiale compositum, quod est ho-
mo; deinde relatio inter extrema. Tertiò si ac-
tione vnendi fit in humanitate vnio formalis,
quæ sit relatio prædicamentalis, & quæ sit ter-
minus immediatus huius actionis; sequitur, v-
nionem humanitatis cum Verbo non esse sub-
stantialem, sed accidentalem, quod est hæresis
Nestoriana.

Resp. Rada, in vnitionibus non fieri denomi-
nationem à termino immediato, sed ab ijs, quæ
vniantur; quæ si accidentaliter vniantur, vnio ac-
tīuè & passiue sumpta accidentalis est: si vero v-
niantur substantialem, vnio ipsa siue actīuè si-
ue passiue accepta est substantialis; humanitas
autem vnitur Verbo secundum subiectum, id est
hypostasim, quæ est substantia, verum esse sub-
stantiale ipsi Verbo tribuendo, scilicet esse ho-
minis; quia ex vi vnionis Verbum verè est homo
& substantia & quid, non quale aut quantum
aut ad aliquid. Cum igitur vltimus vnitionis ter-
minus & primarius intentus, scilicet Christus, sit
substantia, hæc actio non est dicenda accidenta-
lis

sol. lis sed substantialis. *Sed hac responsio non diluit arg. & implicat contradictionem.* Nam si formalis vnio, qua coniunguntur extrema, merum accidens est; igitur non vniuntur extrema, nisi ratione illius accidentis; ergo etiam extrema sint substantiae, non erit eorum vnio substantialis, sed accidentalis: igitur contradictio est asserere formalem extremorum vnionem esse accidentis, & ipsa extrema substantialiter vniri. Prima consequentia probatur; quia vnio formalis est ratio vniendi extrema. Secunda verò probatur; quia causalitas formalis non extenditur ultra suum genus; non enim albedo dat esse quatum aut substantiale, & similiter de alijs; ergo nec relatio vnionis, quae accidens est de praedicamento relationis, facit substantialem, sed accidentalem tantum. Et confirmatur; quia sic facile posset haereticus Nestorij cum sententia Catholica conciliari, dicendo Deum esse hominem, & hominem esse Deum per gratiam & concordiam voluntatum, &c. quae sunt accidentia: sed tamen extremorum vnionem esse substantialem: quia substantia vnitur substantiae. Et idem dici posset de veste in ordine ad vestitum. Vltima verò consequentia probatur: quia substantialis vnio ex sui ratione fit per extrema sibi inuicem immediate, id est non medio accidente copulata; ut patet in materia & forma, quae non media qualitate aut relatione, sed ipsis immediate per suas causalitates vniuntur ad vnum substantiale compositum constituendum: relatio verò vnione substantiali iam facta confurgit. Et confirmatur argumentum, quia si extrema substantialiter vniuntur, & non propter vnionem, quae est accidens; igitur est in eis alia ratio, qua substantialiter vniuntur: hac verò nihil aliud est, quam vnitas diuinae substantiae personalis humanae naturae communicata: ex hoc enim, quod humanae naturae communicatur substantia Verbi, ut scilicet persona Verbi subsistat in humana natura, fit vnio substantialis: & Deus est homo, & homo Deus: Hac verò communicatio, nec ullam praesupponit relationem; nec est ipsa relatio vnionis, & est vnio substantialis, & dicit vnum ens in alio, scilicet personam in natura; & è contra; ad quod consequitur alia vnio, quae est relatio.

” TERTIA CONCL. Per actionem vniendi & assumendi nullus fit modus substantialis absolutus, aut relatiuus, qui fit vnioni praeuius, aut formalis vnio illius cum persona Verbi, sed per se ipsam formaliter immediate persona Verbi vnitur humanitati, & è contra. Hac est sententia D. Thom. & Caietan. ut patet ex locis supra notatis, & probata manet ex dictis.

Argumenta, & solutio. mi. CONTRA primam concl. produci possent argumenta, quae assert & soluit D. S. & expositores infra. 10. ubi querit, an vnio duarum naturarum in Christo fit facta per gratiam.

CONTRA secundam concl. militant duo argumenta. Scoti, quae refert & soluit Caiet. hic dub. 5. & multa argumenta, quae assert & soluit Med. in quest. de termino assumptionis: dicunt enim Scotistae, terminum assumptionis & vnitionis immediatum esse relationem. Contra eandem concl. arg. Rada Primo: per actionem vniendi fit aliquid in humanitate, & non fit entitas absoluta; ergo entitas relatiua huius relatio. Resp. falsum esse antecedit, quo ad priorem partem, ut ostendimus.

Secundo. Illud propriè est terminus assumptionis, quod acquiritur per actionem; sed per actionem assumptionis; quantum est de natura talis actionis nihil acquiritur, nisi vnio naturae

A assumptae cum persona assumente, ut iam natura humana in se non subsistat, sed in persona assumente; ergo vnio humanitatis cum Verbo est terminus assumptionis. Respond. vnionem in proposito tripliciter sumi: primo, ut dicit, esse Verbi personale indiuisum humanae naturae communicatum; secundò ut dicit vnum esse substantiale in compositione consistens: tertio ut dicit relationem inter extrema vnita, scilicet inter humanitatem & Verbum. Ad argumentum igitur dico primo, falsam esse minorem in sensu Radae; quia per assumptionem acquiritur primo humanae naturae, ut terminus formalis assumptionis, esse personale Verbi, quo subsistit humana natura: Deinde acquiritur, id est producit, ut terminus totalis esse substantiale in compositione consistens, quod est Deum esse hominem; quibus duobus tribuitur nomen vnionis. Postremò ex eis, veluti fundamentis sequitur vnio, quae est relatio, realis quidem ex parte humanitatis, rationis autem ex parte Verbi & humanitatis. Secundò dico in minori implicari contradictionem; quoniam hoc ipso, quod per assumptionem acquiritur vnio, qua natura humana subsistat in persona assumente, non acquiritur primo & immediate relatio, sed esse substantiale ad quod sequitur relatio.

C CONTRA tertiam Concl. sunt argumenta Suar. & Vasq. quae refert & soluit Aluarez in allegata disput. 13. quae ferè omnia ex iactis supra fundamentis facile diluentur; aduertendo specialiter contra Vasquezium naturam humanam, ut priorem sua personalitate postulare suapte natura à propria personalitate terminari; & ideo non esse ex se indifferentem ut vniatur Verbo & non vniatur: ita ut ex sui natura & ab intrinseco vendicet sibi talem differentiam; nam quod ex sui natura determinatum est ad vnum, non est indifferens ad duo impossibilia: constat autem personalitatem diuinam esse impossibilem personalitati propriae in humanitate: Cum igitur humanitas ex sui natura determinetur ad propriam personalitatem, non erit indifferens ex se ad personam & non personam personalitatem diuinam. Et quia diuina virtute potest à terminatione propriae personalitatis impediri, & diuina personalitate terminari: ideo in ordine ad potentiam Dei supernaturalem est indifferens ad personam, & non personam diuinam personalitatem, ad quam ideo habet potentiam obedientialem, quae, ut reducat ad actum, nullam exigit in ipsa humanitate mutationem praeter actualem terminationem, per quam fit diuina personalitate subsistens: hoc enim ipso quam maxime mutatur humanitas, quod ad diuinam personam substantiam eleuatur: si namque nouae qualitatibus aut modi substantialis acquisitione mutaretur humanitas, multò magis ac verius mutari diceretur acquisitione diuinæ personalitatis, quae perfectionem ac dignitatem ei confert infinitam.

Contra eandem concl. argumentantur alij primo: subsistere Verbi, ut communicatum humanitati non est ipsum subsistere secundum se: hoc enim praesupponitur ad vnionem; sed est aliquid creatum in humanitate; sicut essentiam diuinam communicari intellectui Beati per modum speciei, non est ipsa essentia diuina secundum se, ut est increata; sed est aliquid de nouo causatum in intellectu Beati; ergo etiam esse personale Verbi, ut communicatur humanitati, fit terminus huius vnitionis, ut vult Caiet. terminus illius erit aliquid creatum. Respond. in termino vnionis formali duo considerari: alterum est ratio

Obi. cont. 3. concl. 2.

Obi. 1. cont. 2. concl.

Obi. 2.

ratio formalis terminandi; & hoc est ipsum esse personale Verbi relatiuum & increatum: alterum est modus siue conditio, sine qua terminus vnionis formalis esse non potest, & hæc est communicatio seu applicatio eius vt termini, ad humanitatem. Et quia principale quod in termino consideratur est ratio formalis terminandi, ideo simpliciter & absolute loquendo de termino formali vnionis hypostaticæ, dicimus esse aliquid increatum: Igitur ad argumentum negatur illatio: nam licet subsistere Verbi, vt communicatum humanitati dicat aliquid creatum ratione communicationis, quæ est conditio termini: non est tamen aliquid creatum quoad ipsam formalem terminandi rationem, quæ præcipua est in ipso termino.

Ob. 2.

Secundo hæc vnio licet formaliter sit immanens; tamen virtualiter & terminatiue est actio transiens; sed terminus cuiuscunque actionis diuina virtualiter transeuntis est productus & creatus; ergo. Minor probatur: Quoniam vt probat S. D. in 1. p. q. 27. a. 5. duo tantum sunt termini improducti per factionem & creationem, scilicet Filius & Spiritus sanctus: quia procedunt ad intra per actiones purè immanentes intellectus & voluntatis: ergo omnis alia actio Dei habet terminum productum per factionem & creationem. *Resp.* falsam esse minorem. Nam, vt supra diximus, actiones vnitiuæ vt sic, non habent terminum productum, & præsertim loquendo de termino formali. Ad probationem negatur consequentia; nam ex illo antecedente sequitur tantum omnem terminum quacunque alia actione productum, esse creatum & factum, non autem omnem terminum alterius actionis ab immanente diuersæ esse aliquid creatum & factum; quoniam actionis vnitiuæ terminus formalis potest esse aliquid increatum, vt antè diximus.

Sol.

QUARTA CONTROVERSA.

An terminus vnionis seu Incarnationis, vel assumptionis sit aliquid creatum vel increatum?

Sententia
Doctrina

VAs *Q. disp. 18. c. 5.* dicit tria: *primum* est vnionem vsurpatam pro vnitatem, quæ est terminus actionis vniedi, esse quid factum & creatum. *Secundum* est, falsum esse quod ait Caietanus; nimirum vnitatem duarum naturarum in Christo esse quid increatum. *Tertium* est; quocumque modo velimus explicare vnitatem & conuentum duarum naturarum in Christo, totum illud compositum, quod in tempore incipit esse & re vera producit, esse quid creatum; non quia quodlibet componens & ad constitutionem illius concurrens creatum sit; sed quia compositio aut ipsum compositum ex duabus sit factum, productum & creatum.

Caiet. in *a. præcedenti* docet vnionem pro relatione esse ens reale creatum; vt ibidem ait S. D. vnionem autem pro coniunctione seu vnitatem naturæ humanæ in persona diuina non esse aliquid creatum, sed creatorem. Quod vt verum defendunt Med. & alij recentiores discipuli D. Tho.

Suar. *disp. 7. sect. 5.* dicit tria. *Primum* terminum huius vnionis ex ea resultantem seu per eam productum esse quid factum in tempore per veram & realem actionem, & in hoc sensu esse quid creatum. *Secundum* est; si loquamur cum Caiet. non de termino adæquatè resultante ex vnione, sed de vnione duarum naturarum in subsistentia Verbi appellando subsistentiam vnitatem, quia

A in ea vniuntur duo extrema, hæc sine dubio in creata est. *Tertium* est vnitatem hanc non esse terminum productum per vnionem, sed esse terminum terminantem humanitatem, & improprie dici vnitatem eorum, quæ in ipsa vniuntur.

Astur. in *sua q. 7. de grat. Christi*, pag. 869. tria dicit *primum*: Si de termino totali sermo fiat nec creatum quid est nec increatum, si rem ipsam attendamus; quoniam includit Verbum & humanitatem, quorum alterum creator est & alterum creatura. *Secundum* si ad prædicationem attendamus; cum Christus sit Deus & ipsa Deitas, verè de illo dicitur quod est creator: in huiusmodi enim prædicationibus Christus accipitur quasi materialiter pro supposito, quod sine dubio increatum est. *Tertium*: si de termino formali & principali sermo fiat, absolute fateri oportet, quod huius vnionis terminus increatum quid est. Quem dicendi modum sequitur Aluar. *disp. 13. concl. 2. & 3.*

Huius *Controu.* definitio magna ex parte pendet ex ijs, quæ notauimus in 1. ad hunc art. *controu.* Vbi duplicem esse diximus actionis terminum: alterum totalem & adæquatam: alterum verò formalem; quorum terminorum differentias ibidem explicauimus, ostendimusque terminum Incarnationis, assumptionis & vnionis totalem esse substantiam compositam ex persona Verbi & humanitate, siue Deum aut Verbum esse hominem; terminum autem formalem diximus ex D. Th. esse personam, vel subsistentiam Verbi, vt connotat in obliquo humanitatem, cui se ipsam communicat.

Ad cuius euidetiam & præsentis contr. resolutionem, sciendum est *primo*, vtrumque terminum scilicet totalem & formalem à Theologis appellari vnionem seu coniunctionem & vnitatem. Et terminum quidem adæquatam his nominibus significari patet ex ijs, quæ diximus in *alleg. Contr.* Terminum autem formalem eisdem vocibus appellari docet in *a. præc.* Caiet. quem alij sequuntur Thomistæ recentiores. Sed quia Suar. dictis nominibus formalem terminum, scilicet Verbi subsistentiam non nisi improprie significari contendit; necesse est, dictorum nominum ac præsertim vnitatis ambiguitatem aperire, & quæ sit eorum formalis ac propria significatio declarare.

Considerandum igitur secundo est, vnionem siue coniunctionem naturæ humanæ in persona diuina consistere in vnitatem, quæ est inter naturam humanam & personam filij Dei; vt hic aduertit Caiet. Sed obseruandum est vnitatem hanc humanæ naturæ & personæ Verbi dupliciter sumi posse: vno modo pro rebus vnis quatenus vnæ sunt, id est prout significant naturam humanam & personam Verbi, quatenus in ipsa Verbi personalitate sunt vnæ; & hoc modo nomen *vnitatis* significat terminum adæquatam assumptionis & vnionis, qui est substantia composita ex persona Verbi & humanitate; siue Christus Dominus, cuius propria & intima ratio est esse substantiale in compositione consistens: in eadem etiam significatione sumi possunt voces *vnionis & coniunctionis*: *Alio modo* sumitur hæc vnitas pro esse personali filij Dei cum respectu ad humanam naturam, & ad ipsam Verbi personam, quæ in eo esse sunt in diuisione: ita vt hoc nomen vnitas personalitatis Verbi & humanæ naturæ non includat veluti partes suæ significationis hæc tria, sc. Verbum, humanam naturam, & personalitatem in qua vniuntur; sed solā significet personalitatem connotando respectum ad humanitatem & ad Verbum, quæ habent indi-

Relatio.
Nominibus
vnionis, seu
coniunctionis,
et vnitatis
quatenus
doque tota-
le, et quæ
doque for-
malem as-
sumptionis
terminum
diuersa ra-
tione signifi-
cari.

E